

invocabimus“<sup>1</sup>. Senatum jam habemus, quem meliorem optare fortassis possimus, ex omni vero populo meliorem eligere, quod ad verbum attinet, non credo cuiquam possibile. Tranquilla sunt omnia, crescit charitas, detegitur sua sponte abominatio monachorum et sacerdotum, omnia fervent apud nos pietate et verbi studio, apud illos nocendi libidine, atrocitate, livore, et plane tales sumus utrinque, quales agnoscere quilibet posset meliores et hostes verbi. Christum ligneum resurgere non fecimus, neque enim sepelieramus, crucem adorare et circumferre magna crucifixa nolimus, ignem non execrati sumus, non consecravimus volui dicere, asinum et pullum in angulo suo sinebamus latere<sup>2</sup>. Et ut omnia dicam: Si papistae, ut spero, hec inulta permiserint, in libertatem asseruimus et nos et vicinos nostros. Omnia ubique fervent, etiam sub Marchione. Qua propter, ut Dominus confirmet quod operatus est in nobis, pro nobis orate et valete: plura scripsissem, nisi negotia et circumstrepentium exercitus alia et alia postulantium impedirent. Pax Christi vobiscum.

Andreas osiander ecclesiastes.

Norimbergae.

Kiel.

G. Kawerau.

## 6. Velt Dietrich an Joh. Brenz, [Nürnberg] 10. Januar 1546<sup>3</sup>.

S. in Domino. Gratissimum est officium tuum, carissime Brenti, non mihi solum sed et senatui meo, quod tam accurate de vestris rebus nos facis certiores. Allatus erat huc rumor, idque ex vestra urbe, in qua nunc estis, perscriptum huc fuerat, Philippum advenisse. Cum igitur nostri nullo modo defuturi sint suo officio, statim missus est nuntius ad Philippum. Sed singulari consilio factum est, quod Dominus suggestit, ut si Philippus abesset, tibi resignandae offerantur. Heri igitur paulo

1) Ps. 20, 8.

2) Vgl. Braunsch. Lutherausgabe, Bd. III, S. 396 f.

3) Aus dem oben S. 338 besprochenen Aktenhefte des Archivs zu Arolsen. — Interessant sind die Bemerkungen über die wahrscheinlichen Absichten des Kaisers in bezug auf das Regensburger Kolloquium. Sie liefern einen neuen Beweis für die bekannte Thatsache, daß man sich vor dem Ausbruche des Schmalkaldischen Krieges in protestantischen Kreisen vielfach über die wirklichen Absichten des Kaisers gründlich täuschte.

post quam abierat nuntius tuae allatae sunt una cum D. Frechtii schedae, ex quibus cognovimus Philippum nondum adesse. Est quidem apud nos, is priusquam in Ratisbonam venires scripsit ad me haec verba: Dicant quicquid velint, colloquium futurum esse non credo. Querit *ὁ ἀντογράτωρ* occasiones morae, qua differat nos, interim, cum per tempestatem licebit, parabit abitum ad suos. Et nos Germanos relinquet seu discerpandos inter nos seu conciliandos, modo ipse absit. Et profecto vatem fuisse iudico; ut enim nunc res sunt et quantum ex his initiis potest iudicari, ludos agunt, quos putavimus rem seriam agere. Concilium Tridentinum habuit initia satis pontificia et pomposa. Cantata est missa de spiritu sancto, qui ex Papa natus est. Post missam bombardae ex omnibus partibus moeniorum in agrum emissae. Vox praeconis subsecuta est, quae promitteret libertatem omnibus hanc fidem defensuris, quam ibi congregatum concilium esset approbaturum, sive sint Judaei sive Turcae. O dignam vocem tali concilio! O miseram fidem, quae etiam Turcis et Judaeis defendentibus eam immunitatem pollicetur. De conventu Francefordiensi <sup>1</sup> nihil huc adfertur, quod ad me perveniat, quamquam nuntii ultro citroque currant. Adversarii autem verba *δυσφηματινά* spargunt, quae omnes pii optant et credunt vana esse. Bene vale in Domino, cariss. Brenti. Saluta fratres, D. Schnephium, Bucerum, Pistorium, Frechtum. Jussi addi duo exemplaria his de Cochleo; alterum Schnephio, alterum Pistorio dabis, ut habeant, quod rideant. Nugae sunt veteres. Die solis post Epiphani. 46.

Vitus Theodorus.

Netze.

H. Nebelsieck.

## 7. Neue, Luther's und Melanchthon's Ende betreffende Archivalien.

### I. Zu Jonas' Bericht über Luther's Tod.

Der eine Stunde nach dem Ableben Luther's von Justus Jonas dem Älteren an den Kurfürsten Johann Friedrich zu Sachsen erstattete Bericht über Luther's letzte Tage und Tod (18. Fe-

<sup>1</sup> Im Januar 1546 fand ein Konvent der Protestanten in Frankfurt statt (Planck, Gesch. des protestantischen Lehrbegriffs III, 2, S. 299).